





DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

LAESIONE ENORMI
IN NEGOTIIS MERCATORIIIS HAMBURGENSIVM
AD STATVT. HAMBVRG. P. II. T. VIII. ART. 19.

1794 4
~~870~~
13
//

QVAM

SVPREMOS FASCES ACADEMICOS TENENTE
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET
GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

EX

DECRETO ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
PRO

SVMNIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS

DIE XIII. AVGVSTI MDCCCXXXIV.

H. L. Q. C.

PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR

TOBIAS NICOLAVS WIBEL

HAMBURGENSIS.

IENAE,

LITTERIS GOEPFERDTIANIS.





INCLYTAE
LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII
AC HANSEATICAE
CIVITATIS HAMBVRGENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO
VIRIS
MAGNIFICO
PERILLVSTRIBVS
EXCELLENTISSIMIS
CONSVLTISSIMIS
AMPLISSIMIS
PATRIAE PATRIBVS



FAVORIBVS OPTIMIS

HAS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

SACRAS FECIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
LAESIONE ENORMI IN NEGOTIIS
MERCATORIIIS HAMBVRGENSIVM

AD STATVT. HAMBVRG, PART. II. TIT. VIII. ART. 19.

INTROITVS.

QVAE dissertatiuncula haec continet, non proprio ausu, et vt ita dicam, cupiditate quadam, quidquam typis exscriptum videndi, quod ipse elaboravi; sed necessitatis causa potius, et tantummodo, vt in iure honores, sicut mos fert, obtineam, proferuntur. Opus non esse, credo, quibusdam adhuc vti excusationibus, quum, bene persuasus; de eo, quod mihi est adhuc discendum, alias! nondum de hac iuris particula cogitationes meas in lucem emissem.

A

QVAM-

QVAMNAM de tot tantisque iuris materiis colendo dignissimis eligerem, haesitans, in consilium adhibui Dm, H J. LIENAV, I. u. D. ecclesiae Hamburg. cathedr. canonicum, virum ill. longeque meritissimum, fautorem ad extremum usque vitae halitum summopere colendum; et sic scriptiuncula haec, de laesione enormi in negotiis mercatoriis Hamburgensium originem traxit. — Euenire forsitan potest, vt, partim ob elaborationem, partim ob opiniones quasdam, quas amplexus sum, multis displiceat; sed, reputetis, qui alii inhaeretis sententiae, rogo, me auctorem esse iuuenem, meque melius forsitan aliquando edoctum, in posterum meliorem etiam adoptaturum sententiam.

ANTEQVAM respondendo ad quaestionem propositam: *an et quatenus rem. ex l. 2. C. rescind. vendit. iure Hamburg. sit applicandum?* ipsum aggrediar opus, quaedam generaliora praemittenda esse necessarium duco, tum de interpretatione h. l. tum de vsu remedii ex illa profluentis,

§. I.

Ante Diocletianum emtio venditio ob laesionem enormem impugnari haud potuit.

Si ante omnia ad ius Romanum oculos conuerto, et, quid eius conditoribus placuerit de laesione in emtione venditione, ab vno contrahentium alteri illata, dispicio: nullo modo adfentire possum IAC. CVIACIO a), quum persuasum habet, etiam antiquiori tempore eius fuisse rationem habitam; sed descendo potius in sententiam IO. IAC. WISSENBACHII, b), RADVLPHI FORNERII c), VLERICI HVBERI d) ac CHRIST. THOMASII e), qui statuunt, ista aetate iurisperitos ea prorsus superfedisse, neque concessisse, hoc nomine ab emtione, quam semel inierunt, recedere. Haud satis mirari possum, THOMASIVM illud ideo existimare, quod iurisprudentes docuerint f), *tanti valere rem, quanti vendi potest, tantique aestimandam esse, quanti possit emtorem inuenire.* Etsi omnino id in legibus tradatur g), ad quas prouocat; neque minus optimus modus sit eruendi verum pretium, si eruamus, quanti res quaedam vendi possit, illud tamen profecto locum haud habet, vbi quisquam queratur, laesum se esse vltra dimidium ac per id declaret, se pro re alteri vendita haud lucratum esse, quod accepisset, si aliis eam vendidisset. Nullo itaque modo ita probare audeo, quod antea statui; sed prouoco partim hac in re ad id, quod tres iurisconsulti vna voce proferunt, POMPONIVS videlicet, VLPIANVS ac PAVLLVS. Quum iam PLAVTVS h) caneret:

si male emtae

Forent, nobis has haud redhibere liceret,

A 2

neque



neque minus SENeca i) scribat: quia non possum domum habere; nisi hic emero, nulla alia venalis est, hanc occasionem videt venditor et premit, non tamen hanc emtionem rescindit: atque vterque hic scriptor prorsus ignarus esset remedii illius, quod enormiter laesis sequenti tempore tribueretur, latius adhuc progressus est POMPONIVS, dum traderet, in pretio emtionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire. Quum verba haec haud ex libris POMPONII a TRIBONIANO eiusue adfectis translata sunt in digesta; sed ea potius recitat VLPIANVS k) ac solum animaduertit, POMPONII esse verba; neque librum nominat, in quo inuenit, neque ego illum nominare possum. VLPIANVS ea quum profert, non minus illa comprobatur; cum ipso vero hac in re prorsus conuenit PAVLLVS l), ubi ait, quemadmodum in emendo vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere; quod minoris plaris vendere et ita inuicem se circumuenire. Quoniam duo hi iurisconsulti hac in re conspirant, qui alioquin sibi acriter repugnant; neque minus illud iure gentium contrahentibus permittum esse, vocula naturaliter m), quam adhibent, docent, ac praeterea haud distinguunt, vtrum laesio sit modica; an potius enormis, locupletissimi profecto sunt testes, ipsorum tempore enormiter laeso nondum licuisse, hoc nomine emtionem venditionem, quam inierunt, impugnare.

a) libr. XXIII. obseruat. cap. 24.

b) exercit. ad pand. disp. XXXI. §. 12. p. 311.

c) ver. quotidianar. libr. VI. cap. 20. tom. II. thesaur. iuris rom. Ev. OTTONIS, p. 301.

d) eunom. Romana, ad l. 16. §. 4. D. de minoribus, p. 194.

e) de

e) de acquitate cerebrina l. 2. C. de rescindend. vendit.

f) loc. memorat.

g) l. 1. §. 16. D. ad Sc. Trebell. l. 82. D. ad leg. Falcid. ac l. 52. §. penult. D. de furtis.

h) in *Mofellaria*, act. III. scen. II. v. 113.

i) *controu*, 26.

k) l. 16. §. 4. D. de minor.

l) l. 22. §. 3. D. *locati conducti*.

m) GOTHOFREDVS | ad l. 16. §. 4. | D. de *minoribus* ac FORNERIVS *loc. memor.*

§. II.

Aliud placuit imperatoribus Diocletiano ac Maximiano.

HAEC QUUM obtinerent, antequam DIOCLETIANVS ac MAXIMINIANVS clauum imperii tenerent: eorum tempore duo adparuerunt rescripta, quibus regula, ab VIPIANO ac PAVLLO formata, haud quidem est sublata; quibusdam tamen limitibus circumscripta. Quum vnum eorum *n*) ad Lupum quemdam missum esse constat, qui vel ipse rem maioris pretii minoris distraxerat; vel filius venditoris fuerat hoc modo laesus, erat *adnotatio*; vel *subnotatio*; siue rescriptum a caesare ad priuatum quemdam, praecedente supplicatione, missum. Contigit honos hic isto tempore quibuscunque, qui querelas suas libello caesari proponerent. Non perspicere itaque possum, quare in mentem venerit THOMASIO statuere, Lupum

hunc amicum consilarii, forsitan imperatorum fuisseque iis causam retulit; sed ingenue potius fateri me oportet, plane incertum esse, quis ille Lupus fuerit, cui succurrere voluerint imperatores. Neque indicare queo tempus, quo rescriptum hoc sit datum, quum subscriptio plane deficit. Exhibet titulus, in quem illud retulit TRIBONIANVS, plures constitutiones memoratorum augustorum, quibus haud adiectus est dies ac consul; quumque idemque in multis aliis eorundem imperatorum legibus, quae in codicem sunt translatae, reperimus, haud statuere debemus, subscriptionem incuria scribarum ex codice excidisse; sed incognitum sine omni dubio conditoris codicis tempus legis fuit eius ob vetustatem. Haud clare mentionem quidem faciunt regulae ab VLPIANO ac PAVLLO adoptatae; sine dubio tamen illius memores fuerunt, quum dicendi formulis vtuntur, quas alioquin iuriconsulti modestiae causa adhibere solent, vbi sententiam proferunt, quae est adhuc dubia; neque ab omnibus probata. Statim initio solum animaduertunt, *humanum esse, vt vel pretium te restituente emtoribus, fundum venundatum recipias, auctoritate iudicis intercedente; vel si emtor elegerit, quod deest iusto pretio, recipias*; inprimis autem id satis euidenter declarant, ubi adiciunt, quid sit minus iustum pretium, hocque tum demum locum habere statuunt, *si nec dimidia pars veri pretii soluta sit*; immo hoc ita titubanter ac dubitanter proferunt, vt particula vtantur, *stilo legislatoris parum conueniente, videtur: minus autem iustum pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit o*). Sed cum hoc rescripto alterum ρ) iungere debemus. Est quoque ad personam priuatam datum, et quidem feminam, nimirum Euodiam. Inter tredecim rescripta imperatorum nostro-

strorum, rescissionem emtionum tangentia, est unicum, cuius subscriptio est seruata; annum tamen haud ex ea diuinare licet, quum in illa solum animaduertitur, datum esse calendis Decembr. ac caesares consules fuisse, quum illud fieret. Neque minus a priori in eo differt, quod regulam ipsam VLPIANI ac PAVLLI claris verbis adprobent principes: imo eam argumentis quibusdam corroborent, ac solum in fine exceptionis mentionem faciant; nisi minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset, electione jam emtori praeslita, seruanda.

a) l. 2. C. de rescind. vend.

o) iurisperiti veteres in primis eiusmodi modestia sese commendarunt, quum formulis vterentur: *potest dici, cupio, rei ratio forsitan est, prope est, dixi posse, defendi posse, deliberandum est*, imprimis autem ipsis maxima familiaritas fuit cum verbis *videri ac non videri*, l. 15. D. de in offic. testamento. l. 93. D. de condit. et demonstrat. l. 41. §. fin. D. de vulgari et pupill. substit. l. 31. §. 3. D. de donat. l. 118. §. pen. D. de V. O. Ev. OTTO in Papiniano, cap. XV, §. 4.

p) l. 8. C. de rescind. vendit.

§. III.

Refutatur Christ. Thomasio.

QVVM vtraque lex clare haec iubeat: nullo modo concedere possum CHRIST. THOMASIO q), adiecta esse vtrique legi verba, quae rescissionem emtionis venditionis ob enormem laesionem permittunt, manu TRIBONIANI; neque ea tribuenda esse DIOCLETIANO ac MAXIMIANO. *Probabile*, inquit,

quit, hoc redditur non saltim ex eo, quod subsequentes imperatores Diocletiano contradicentes, in genere saltim eam doctrinam reiiciant; nec faciant mentionem distinctionis inter laesionem infra, vel supra dimidium: sed et, quod versiculus ultimus legis sit, qui instar glossae, extra sensum legis et contextum positus. — — — Eadem est ratio legis alterius Diocletianae priorem refutantis. Ibi enim limitatio finalis plane non quadrat ad sensum verborum praecedentium, quorum rationes aequè obstant limitationi; quam contradictioni propositioni vniuersali. His oppositis probabile est, Tribonianum has leges deprehendisse in codice Gregoriano et Hermogeniano; quibusdam autem interiectis addit: Collectores vero iuris Iustiniani, humanitate illa cerebrina prioris rescripti semel inescati, cum posterius Diocletiani rescriptum viderent cum priori non bene convenire, putarunt distinctione illa inter minus dimidio et dimidio non minus duo illa rescripta conciliari posse, atque sic, utrobique additis versiculis leges illas Diocletiani interpolauerunt. Satis abunde haec docent, quae sit coniectura THOMASII; ei vero semper obstat, quod interpolatio TRIBONIANI nunquam sit praesumenda; neque prius statui queat, quam si euidenter sit probata r). Argumenta, quibus vitur celeberrimus ille quondam iurisperitus, eius ponderis haud sunt, ut sustinere queant, quod suspicatur. Ante omnia sequentes imperatores, quum regulam solum tradunt, neque opus esse iudicant, ut exceptionis mentionem faciant, DIOCLETIANO ac MAXIMIANO haud refragantur, quum talis semper esse solet inter regulam et exceptionem nexus, ut semper proponi queat alterutra, neque per id tollitur, quod omittitur, siue sit regula, siue exceptio. Recordari dein debemus, solis in rescriptis et quidem ad priuatum datis, principes statuisse, emtionem venditionem ob
enor-

enormem laesionem rescindi posse. Cogitari itaque semper id potuerat, si quoque sequentes angusti, eius plane ignari, aliud statuerent; vltima vero verba legis prioris antecedentibus omnino respondent, eiusque sensui nullo modo aduersantur. Simili ratione repugnantia inter vtramque legem, quam sibi fingit THOMASIVS, non adest; effi ad vltima earum legum verba haud respiciam, ideoque tanto minori iure adiecta esse a TRIBONIANO arbitramur, vt istam tolleret.

q) de aequitate cerebrina L. 2. C. de rescind. vend. §. 11. tom. III. diff. iuridicar. p. 62.

r) GREGOR. LOPEZ, *animaduers. iur. civil. cap. 7.* CORNEL. VAN BYNKERSHOEK *lib. IV. obseruat. iuris romani*, cap. 6. ac CHR. HENR. ECKHARDVS, *hermeneut. iuris, libr. I, cap. 6. §. 243.* ed. recent.

§. III.

Fata memoratorum rescriptorum Diocletiani ac Maximiani.

ETSI nullo modo cum THOMASIO statuere audeam, haud profecta esse a memoratis principibus, quae in fine vtriusque constitutionis cauta sunt; libens tamen concedo, rescripta illa haud statim vires legis nacta esse *§*). Reuera non nisi consilium continent, quod dederunt Lupo atque Euodiae, ac, si quoque ii, quibus datum est, illud exequi deberent, rescripta talia, vt iamdudum perspexerunt iurisconsulti, alios haud obligarunt. Sine dubio quoque illud fuit ratio, cur sequentes imperatores, nimirum CONSTANTINVS magnus *§*), GRATIANVS, VALENTINIANVS ac THEODOSIVS *t*); neque minus

B

Ho-



HONORIVS atque ARCADIVS *u*) ad id, quod statuerant DIOCLETIANVS ac MAXIMIANVS, haud respicerent; sed generatim non minus eas venditiones ratas esse vellent, quibus vnus vel alter contrahentium esset laesus. Iam non disquiram, vtrum ad modo nominatos imperatores facile notitia peruenerit eius, quod ipsorum antecessores priuatis rescriperant; an eiusdem ignari fuerint; neque minus concedo, placita DIOCLETIANI ac MAXIMIANI per id haud sublata fuisse; vel minimum tamen eorum haud mentionem faciebant, eaque, vt legis nanciscerentur virtutem, confirmabant; quum autem TRIBONIANVS vtramque hanc constitutionem transferendam curaret in codicem nostrum, mutabat consilia, quondam Lupo atque Euodiae data in leges, et licet solum sub et annotationes essent; ab eo tamen abhinc tempore cum aliis constitutionibus comparandae erant, quae futuris quoque subditorum actionibus normam praebent. Inprimis illud satis euidenter declarabat, quum duas earum constitutionum iuniorum, quae aliud continere viderentur, plane proscriberet *v*) ac tertiam non nisi praeuia interpolatione retineret *w*); in nouellis autem constitutionibus, quod ab VLPIANO aequae ac PAVLLO praeceptum erat, denuo et quidem potissimum in commerciis repetere videtur *x*).

f) PERILL. WALCHIVS *in der Geschichte der in Deutschland geltenden Rechte*, p. 205.

s) L. 1. *Cod. Theodos. de contrah. emtione.*

t) L. 4. *Cod. Theodos. de contr. emt.*

u) L. 7. *Cod. Theodos. eod. tit.*

v) L. 1 et 7. *Cod. Theod. eod. tit.*

w) L. 4 C. *Theodos. de contrah. emt.* Addit TRIBONIANVS in verbis: *pretii nomine vitioris: paullo*, ita vt legatur in codice Iustiniano, *pretii nomine*.

nomine paullo vilioris. GOTHOFREDVS not. ad h. l. tom. I. codicis Theodosiani p. 285.

x) Nov. XCVII, cap. 1. et nov. C. praef. HOMBERGIVS. not. ad novell. p. 688.

§. V.

Laesio enormis in emtione venditione supponitur in his legibus.

HÆC de historia iuris emtionum venditionum, enormiter vnum vel alterum contrahentium laedentium; vbi vero paullo intentius illud intuemur, quod de iis statuit, certoque modo ad ius patrium inferuit ad illustranda] statuta patria, ante omnia supponit laesionem enormem. Vocatur illa ab interpretibus partim *laesio ultra dimidium*, partim *enormis*; partim autem *laesio ultra alterum tantum*. In legibus nostris haud inueniuntur hae denominationes; introductae sunt potius a recentioribus iurisperitis; ipsam autem naturam laesionis illius satis adcurate describunt, quum in vna dicitur *γ) minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit*, atque in altera *z) haec proferuntur; nisi minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset*. Quum satis adcurate distinguere debemus pretium *verum* aequae ac *iustum* et illud iam verum est, quod serua contrahentium intentione tanquam pretium pro re tradenda constituitur; iustum autem, non nisi id, quod vero rei valori conuenit, dici potest, quilibet videt, supersedisse imperatores hoc loco distinctione hac, satis alioquin fundata ac vna lege pretium vocasse *verum*, quod



dicerent in altera *iussum*; nihilo tamen minus eorum ex mente laesio tum demum enormis est, quae dimidium iusti rei pretii accedit. Haec uti semper supponenda est; ita secundum legum verba non prius locum habet, quam si res vendita sit immobilis, eiusue venditione laesio ab vno contrahentium alteri illata. In vtraque lege *fundi venundati* mentio est facta. Sine dubio duxit hoc IAC. CUIACIVM a) in sententiam, eam ad res mobiles haud esse trahendam. Ei contradicunt CAR. MOLINÆVS b), aequè ac IO. ROBERTVS c), ea tamen ratione, ut ipsi haud conueniant quumque ille solum venditori succurri putet, si enormiter laesus est in rebus pretiosioribus, hic in cuiusuis rei mobilis alienatione remedium hoc locum habere censet, si enormis adest laesio. DION. GOTHOFREDVS d) in MOLINÆI discedit sententiam, quoniam propter rem minimam haud concedatur restitutio e); neque mihi haec displicet distinctio, quum reuera in re minima laesio locum haud habet; vbi vero emptio venditio rei mobilis pretiosioris celebratur, ad illam omnia adplicanda sunt, quae de re immobili traduntur vendita ac iurisconsultus legem explicaturus in verbis legis haud adquiescere debet; sed magis ad legis rationem respiciat.

y) l. 2. C. de rescind. vend.

z) l. 8. C. de rescind. vend.

a) l. XVI. obseruat. cap. 18.

b) comment in Parisiens. consuetud. §. XXXIII. gloss. I. num. 46.

c) libr. II. animadvers. cap. 12.

d) ad l. 2. C. de rescind. vend.

e) l. 4. D. de restitut. in integ. l. 10. seq. D. de dolo ac l. 54. D. de contrah. emt.

§. VI.

Quaeritur, an et emtori, licet de illo mentio non sit facta, conueniat remedium ex h. l.?

MEMORATV dignum est, quod succurrant in vtraque lege imperatores tantum venditoribus; nec emtorum mentionem faciant eandemque ob causam sunt, qui remedium hoc emtori prorsus denegant *f*); cum illis autem haud facere possum. In qualibet lege interpretanda illius inspiciere nos oportet rationem. Haec fundatur in laesione. Est igitur, quod emtori laeso denegari haud poterit, quum non tantum in correlatis idem ius statui debeat *g*); sed et ex humanitate laesionem corrigendam esse dicatur; eadem autem est humanitatis causa in emtore, quae in venditore: quin maior, quia venditor sibi ipse imputare debet, quod rem suam tam vili pretio distraxerit, quum istius verum valorem nosse praesumatur *h*); emtori vero nihil tale imputari potest, quia non scientia; sed ignorantia in factis rebusque alienis praesumitur *i*); et emtor quia laeditur in re aliena, venditor vero in re propria *k*). Glossatores *l*) iam, observante PINELLO *m*), etiam ita iudicauerunt; neque vllus eorum ab altero discordat, licet in exemplo et explicatione varient plures. Nec enim ferenda esset tanta inaequalitas, vt tantum vni, non alteri, succurreretur. Concedendum quidem est, vt venditorem emtore saepius laesum inueniamus, quia, emtorem, antequam venditorem iustum rei suae pretium, quam vendere antea non volebat, haud curantem adiit, de iusto rei emendae pretio certiores se fecisse, praesumendum est; eamque ob rem forsan



opponitur, illi ab imperatoribus hocce tributum esse beneficium. Sed emtore expressis verbis haud excepto, et nobis illum excludere non licet, praecipue quum apud veteres appellatione emtionis comprehendebatur venditio et contra, de quo exemplum invenimus apud CICERONEM *o*), qui aperte *vendere pro emere dixit*; quod etiam probari potest ex lege quadam, qua iurisconsultus animadvertit *o*): *veteres in emtione venditioneque appellationibus promiscue utebantur p*). Huius autem rei rationem in temporibus quaerere debemus, in quibus vigebant permutationes, nullaque cognita fuit pecunia *q*).

§. VII.

- f) IAC. CUIACIUS, *lib. XVI. observat. cap. 18.* ANT. FABER *dec. VIII. err. 7.* EDM. MERILLIVS *libr. II. observ. cap. 5.* ac IO. FRID. AD. KOCH *de L. 2. C. de rescind. vend. ad emtorem non extendenda* Ang. CIOIDCCXLVII.
- g) l. 41. D. de R. I.
- h) L. 15. C. de rescind. *[vendit.*
- i) L. ult. D. *pro suo.*
- k) LAVTERBACH *coll. theor. pract. p. 343.* PERETZ *comt. ad C. l. 2. n. 7.* MYSINGER *p. 4. obs. 73. n. 3.* COCCEII *libr. 18. t. 5. qu. 7.* CARPZOV *p. 2. const. 34. def. 8.* PERILL. WALCHIVS *controu. p. 610.*
- l) BARTOLVS, n. 3. BALDVS n. 20. ALBER. n. 24. SALICETVS, n. 20.
- m) in commentario ad l. 2. C. de resc. vend. p. 1. c. 2. n. 1.
- n) *libr. III. de officiis, cap. 16. in f.*
- o) l. 19. D. de act. emt.
- p) COVARRUVIAS l. 2. var. *resolut. c. 3.* MENOCHIVS *de praesumpt. l. 5. praef. 83. n. 6.*
- q) L. I. D. de rerum permut.

§. VII.

Reo electionem competere probatur.

RATIO, cur indistincte reo electionem adiudicem, sita est partim in fauore, quocum iura semper hunc adiuvant; partim in eo, quod leges nostrae expresse pro illo se declarant. Haud obscure imperatores arbitrio emptoris committunt, vtrum velit rem redhibere venditori enormiter laeso; an potius id supplere, quod deficiat in pretio. Hic r) enim casum habemus, vbi venditor laesus rescissionem contractus postulat. Probata laesione scilicet vltra dimidium hoc fieri debere vult legislator; duos autem determinat modos, quibus fieri hoc potest. Vel venditorem oportet, pretium infra dimidium acceptum emptori restituere, vel emptorem, si elegerit, oportet, quod deest iusto pretio, supplere, ita vt venditor pretium accipiat iustum. Quodammodo hocce beneficium eligendi tamquam compensatio reo concessa considerari potest, qui bona fide putans, contractum esse consummatum, ex post illius rescissione contentus esse debet s).

r) in l. 2. C. de resc. vend.

s) quocum consentiunt omnes h. l. commentatores DONELL. *ad h. l.*
n. 14.

§. VIII.

Quousque durat haecce electio?

REGVLARITER durat haec electio vsque ad sententiae executionem. Sic e. g. condemnatio rei per iudicis sententiam
ad

ad pretium *simpliciter* restituendum, illum non obligat, restituendo obedire; nam ante sententiam latam nondum decisum erat, num reus ad aliquid praestandum sit obligatus; laesio enim ex probationibus deduci debet, et, sic nihil est, quod eligere possit. Supponendum igitur, si legimus, plurimos iurisconsultos statuere, et post sententiam latam electionem reo competere, iudicem iudicando voluisse, vt reus *simpliciter* rem edat, aut vt *simpliciter* pretium suppleat, quum tamen sententia semper alternatiua ferenda. Plura hac de re inuenies apud A. F. FRICKIVM. s)

s) in diss. de libello actionis ob laesionem enormem institutendae non dis-iunctiue concipiendo ad L. 2. C. de rescind. vend. Helmst. CIIOCC LXXIII.

§. VIII.

An sciens laesus priuetur beneficio h. l.?

COMMVNIS iurisconsultorum schola quaestionem hanc affirmat, et pauci sunt, quibus aliud placet; verumtamen argumenta eorum, qui scienti laeso beneficium hoc denegandum censent, eius haud sunt ponderis, vt ipsorum in sententiam discedam. Verbis legis inhaereo, ac leges nostrae nullum proferunt distinctionem. Habemus autem iuris regulam: *ubi lex non distinguit, distinguere non licet.* Praeterea hic de humanitate differitur, et, estne humanum, emtionem venditionem rescindi, etiam tunc, quum quis sciens laesus sit? Nonne existere potest casus, et existitne laepissime, vbi necessitate quadam coactus venditor eo contentus esse debet, quod illi pro
re

re sua datur? Infuper negari non potest, probationem laesionis vltra dimidium esse difficillimam et longinquam, cur igitur litem protrahere volumus, probationem vrgendo, laesum non esse laesum, quia e. g. sciuit, se dimidium iusti pretii non accipere? Rationes ad suffulciendam sententiam contrariam ab illis adlatae parui sunt momenti. Leges, ad quas prouocant, partim in digestis *t*); partim in codice; partim autem in iure canonico *v*) reperiuntur. Non possumus non concedere, hisce in legibus esse cautum, quod, si quid sciens laesus fuerit in emtione venditione, tamen sit obligatus ad contractum adimplendum, et plus datum quam acceptum pro donato habeatur. Nullibi autem sermo est eo de casu, de quo lex nostra loquitur, quo quis vltra dimidium laesus est et ideo merito tantum de illis laesionibus sunt intelligendae, quae minimae dicuntur, et dimidium iusti rei pretii non excedunt. Res, si ita se habet, etiam scienti laeso hoc remedium concedere nos oportet, aut potius, nostrum non est officium disquirendi, vtrum laesus sciuerit, se esse laesum, an non, sufficiat probatio laesionis vltra dimidium. Alias enim, qualis est finis a legis latoribus intentus? Vsum legis non intelligo. Vix cogitari poterit casus, aliquem esse iusti pretii adeo ignarum, vt laesio vltra dimidium fieri possit, cuius lex nostra mentionem facit, quum secundum ea, quae GRATIANVS, VALENTINIANVS ac THEODOSIVS *w*) disposuerunt, verum rei valorem nosse praesumatur. Forsan in homine prodigo lenique talis existere potest casus; et tunc iura huic magis fauissent, quam homini diligenti de iusto rei propriae pretio laboranti. Supponamus enim, vtrumque speciem similem eiusque generis distrahere; prior vltra dimidium laeditur, quia verum rei va-

C

lorem



lorem non curabat, posterior vero necessitate urgente, rem infra dimidium iusti pretii vendendi. Priori licet postea rescindere emtionem venditionem; posteriori prohibitum est? quomodo hoc statuendum? quum ex aequitate atque humanitate posteriori potius succurrendum foret x) Porro, si per legem adlegatam principaliter excluderetur venditor laesus, eo, quod verum rei pretium scire debuit, semper utique excluderetur, etiam laesus vltra dimidium; quia et in hoc viget eadem ratio vel culpa, quod scire debuerit! Sed et haec, eo non obstante, succurrit laeso vltra dimidium, ergo scientia laesionis non tollit remedium huius legis. Quod etiam suadet, vt supra iam monui, ex generalitate legum nostrarum, quae non distinguunt, an laesus sciat vel ignoret laesionem. Deinde, laedens versatur in lucro captando, cui, si hoc cum damno alterius fit, nunquam favent leges. Hoc fieri, praesumitur ex laesi actione. Laedens, si credebatur, laesionem non adesse, et potius donationem fieri, sicut quondam casus existere potest, contractum rescindendo priuetur tantum de eo, in quantum cum damno alterius existeret locupletior. Non ignorabat, huic actioni rescissoriae se submittere, sibi impudet, tali modo donum accepisse, sibi que non melius prospexisse. Addendum adhuc necessarium duco, tales emtiones venditiones, quarum obiectum lucrum de futuro concernit (e. gr. emt. spei) hic esse excipiendas, quum alioquin scienti laeso vsu huius remedii concedam. Licet enim hic antea sciret, se forsitan laedi posse, nihilominus etiam sciebat, alterum posse vltra dimidium laedi, et sic vterque merito compensat. Cuius sententiae rationibus et ea potissimum est accensenda, in talibus conuentionibus initio-
nis

nis tempore verum ac iustum pretium erui non posse, quod tamen necessario requiritur. Alias enim plane diiudicari nequit, an quis ex contractu laesus sit, nec ne.

- t) L. 50. et 45. de R. I. L. I. §. 5. D. de iniur.
 u) L. 9. in f. C. de act. emi et L. II. C. de rescind. vend.
 v) cap. scienti de R. I. in 6^o. BENED. CARPZOV p. 2. c. 34. def. 3. n. 4,
 ac IO. BALTH. WERNHER part. III, obl. 202.
 w) L. 15. D. de rescind. vend.
 x) ALBERICVS, n. 12. PINELLVS p. I. c. 2, n. 10. seq. COVARRVVIAS
 l. 2. c. 4. n. 2. FACHINAEVS l. 2. c. 16.

§. X.

Transitus ad ius patrium.

NON sine causa praemittenda fuerunt omnia haec de eo, quod iure civili sancitum est de laesione enormi in emptione venditione: sed iam proprius accedo ad ius patrium, quum sapientissimi eius conditores illius omnino rationem, ita tamen, habuerunt, vt, si quoque placita Romanorum imperatorum adoptarent, haecque in codicem suum transferenda sacrent, hocque nomine longe discreparent, qui sequenti aetate cum CHRIST. THOMASIO crederent, *cerebrnam esse aequitatem legis illius secundae codicis de rescindenda venditione y*), rem tamen longe curatius determinarent atque omnes fere quaestiones, quae iurisperiti in medium protulerant, deciderent. Factum illud est in sequentibus verbis z):
wird jemand im Kauffen und Verkauffen über den halben Theil
 C 2 des

des rechten Werthes übernommen, und verkürzet, derselbige ist den getroffenen Kauf zu halten nicht schuldig; ac licet auctores breuitati hac in lege maxime studuerint, tantum tamen iis inest pondus, vt plura confectaria ex iisdem facillime duci queant, quae maximam in loco auctoritatem mereri videantur.

y) *diff. de aequitate cerebrina L. 2. C. de rescind. vend., quae Halae MDCCCVI lucem adspexit ac denuo tom. III. dissertationum academ. car. p. 43. est recusa. Refutauit eum Io. GODOFR. SCHAMBEVERIVS, diff. de aequitate et usu practico L. 2. C. de rescind. vendit. Vitemb. MDCCCXXV.*

z) *stat. Hamburg. part. II. tit. VIII. §. 19.*

§. XI.

Quaedam de origine huius dispositionis in statutis Hamburg.

EXISTIMANTI mihi, Hamburgenses praeceptum iuris romani, a DIOCLETIANO ac MAXIMIANO introductum et a IUSTINIANO confirmatum, verbis modo recitatis tradere voluisse, obliare videntur argumenta quaedam, quae omni attentione sunt digna. Haud negare possumus, in legibus Germanorum, quae ab ipsis latae essent, antequam iura peregrina ab iis sunt recepta, multa proferri, quae cum placitis Romanorum conuenirent, eumque valde errare, qui, quicquid in legibus patrii legat, quod iuribus Romanis est consentaneum, ex illis delibatum esse credat, hocque ita etiam statuatur de iuribus, quorum lateribus nulla adhuc cum Romanis ipsorumque legibus exstitit familiaritas, quum illa litteris designanda curarent. Certum deinde est atque expeditum, duo Hamburgi
iam

iam per plura secula viguisse iura, antequam hodierna nostra statuta initio antecedentis seculi, nimirum ann. *MDCCIII.* promulgarentur, quibus innumera maiorum nostrorum continentur praecepta. Alterum eorum ann. *MDCCCLXX.* alterum autem ann. *MDCCCLXXXVII.* adparuit, vti a plurimis iurisconsultis ac inprimis a *MICH. RICHEY a)*, viro, de republica optime merito, copiosius est expositum. Quum vtrumque ius iam in manibus est eruditorum ac prius cura *ERN. IOACH. de WESTPHAL b)*, posterius autem studio imperialis camerae adfessoris, de *NETTELBLA c)* ac perill. *CAR. FRID. WALCHI d)* in lucem emissum publicam: exhibent fere quibusdam in pagellis iuris patrii cultoribus egregia vestigia morum maiorum nostrorum, hocque nomine eorum attentionem excitant. Nimum diuagarer, si aliorum exemplum imitari vellem, atque ista recensere: sed lectores potius ad id, quod hac de re ab ipsis traditum, ablego *e)* ac tantum moneo, duo haec antiquiora haud neglecta fuisse, quum recentiora conficerentur; sed magna ex parte in illa translata, vti facile patet, si ea cum his velimus comparare. Neque alias consuetudines Germanicas neglexerunt, a Hamburgensibus ab antiquissimis temporibus receptas, atque omnia haec abunde comprobantur, si solum respicimus ad ea, quae cauta sunt in statutis illorum recentioribus de nobilibus, a iure ciuitatis exclusis *f)*, de resignatione bonorum immobilium, iudicis auspiciis facienda *g)*: de cura feminarum perpetua *h)*: de communiione bonorum inter coniuges obtinente *i)*: de reuindicatione arctioribus limitibus circumscripta *k)*: de succedendi ordine *l)* ac differentia inter liberos separatos ac non separatos *m)*.



- a) *historia statut. Hamburgensium*, Hamburgi MDCCCXXXVIII. cui accedunt SCHROETER *orig. statut. Hamburgensium*, tom. III. *monum. ineditor.* ERN. IOACH. DE WESTPHALEN p. 3026. STELZNER *in den Nachrichten von der Stadt Hamburg* tom. I. p. 210. ac CH. GOTTL. RICCVS, *in dem zuverlässigen Entwurf von den Stadtgesetzen* lib. I. cap. VII. p. 133.
- b) *monumentis ineditis* tom. IV. p. 2083.
- c) *thesaur. iuris prouincialis et statutar. Germaniae*, tom. I. p. 633.
- d) *in den vermischten Beyträgen zum deutschen Recht* tom. VI. p. 49.
- e) plura hac de re exposuit IO. IAC. SIEVERT *diff. de retractu pignoratitio Hamburgensi*, quam praefide perill. WALCHIO ann. MDCCCLXVIII hic defendit, cap. I.
- f) *part. I. tit. I. art. 5.*
- g) *part. II. tit. VIII. art. 2.*
- h) *part. I. tit. IX. art. 1. part. II. tit. VI. art. 2. tit. VIII. art. I. part. III. tit. VI. art. 9. et. 21.* IO. SAM. STRYK *de iure foeminarum Hamburgensium* cap. I. §. 3.
- i) *part. II. tit. II. art. 20. part. II. tit. XI. art. 13. part. III. tit. III. art. I.* IVST. HENN. BOEHMERVS *de communione aeris alieni inter coniuges Hamburgenses* Halae MDCCCXXXVIII. tom. III. *exerc. ad pand.* p. 590. ac HENR. BROCKES *de communione bonorum inter Hamburg. Ienae.* MDCCCXXXVII.
- k) *part. II. tit. II. art. 7.* VINC. RVMPF, *de rei vindicatione e iure Romano ac Hamburgensi*, MDCCCLXXXIV. nec non plura lecta digna inuenies apud CAR. GEORG. CVRTIVM *in Diff. de rei vindicatione iure lubecensi arctis limitibus circumscripta*, paucis abhinc mensibus hic erudite defensa.
- l) *part. II. tit. III. §. 12.*
- m) *part. III. tit. III. art. 7. et 9.*

§. XII.

Dubia haec refutantur, ac simul probatur, praeceptum Hamburgensium de laesione enormi ex iure Romano esse derivandum.

Etsi omnia haec extra dubium posita sint; nullo tamen modo largiri possum, referendum esse id, quod de enormi laesione in emtione venditione cautum est in statutis Hamburgensibus inter praecepta illa iuris patrii, quae ibi feliciter sunt conservata. Maiores nostri haud permittebant emtori; vel venditori, vbi enormiter laesum se arbitretur, hoc nomine a contractu emtionis venditionis recedere. Testantur illud plura proverbia. Iam dudum animadverterunt iurisconfulti, maiores nostros, quum leges suas non facile litteris designarent: immo per plura secula iure scripto penitus carerent, inprimis proverbiis usus esse, vt notitiam legum suarum positivarum ad posteros propagarent, e, si quoque haud de omnibus illis statuendum sit, illa solum ius complecti patrium, illud tamen statuendum est de plerisque. Paroemiae: *wer die Augen nicht aufthut, thue den Beutel auf; es ist ein Ding, wie man es achtet; wer A sagt, der muß auch wol B sagen; Kauf und Backenstreich sind ungleich; ein Verkäufer lobet seine Waare; Kaufwanschaft ist keine Freundschaft, vñ eas* IO. NIC. HERTIVS n), GEORG. TOBIAS PISTORIUS o), ac IO. FRID. EISENHARDVS p) exhibent, satis luculenter tradunt, quid Germani de eiusmodi querelis emtoris vel venditoris statuerint, nihilque aliud significant, quam quod earum ratio haud habenda, sed contrahentium sit, promissis satisfacere.

cere. Quum hac in re haud in vno proverbio adqueuerint; sed plura illam tradunt atque in his quaedam reperiuntur, quae omnino vetustate sua commendant, non dubitandum est; quin praecepta contineant, quae maioribus sancta fuerunt, antequam ius Romanum introduceretur; sed eadem quoque in legibus proferuntur Germanicis. Mirum profecto est, quanto studio maiores nostri in iis cauere studuerint, quo minus emtiones venditiones rescinderentur. Sine omni dubio caussa fuit, cur non nisi auspiciis iudicis emtiones celebrari permitterent, ac *testamenta venditionis* conscribenda curarent q); neque minus mox sex, mox duodecim testes requirerent r); venditionemque per scripturam factam plenam firmitatem habere, pronuntiarent s); sed multo luculentius partim BAIVVARI, partim WISIGOTHI suo exemplo docebant, Germanis haud permissum esse, ab laesionem enormem ab emtione venditione refilire. Illi sequentia proferunt s): *venditionis haec forma seruetur, vt, seu res, seu mancipium, vel quodlibet genus animalium venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, quod dicat, se vili pretio vendidisse; sed postquam factum est negotium, non sit mutatum; idem autem statuunt WISIGOTHI t): venditionis, inquirunt, haec forma seruetur, vt, seu res aliqua, vel terrae, siue mancipia, vel quodlibet animalium genus venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, eo, quod dicat, rem suam vili pretio vendidisse.* Haud distinguitur, vtrum sit res mobilis; an immobilis: vtrum res mobilis animata sit, an inanimata; quumque nec vllis limitibus prohibitio est circumscripta, haud adfirmare possumus, illam solum ad casum spectare, quo modicam tantum laesionem passus sit vnus contrahentium. Ita quum nostrates sentirent: profecto nullo iure praeceptum, quod

quod enormiter laeso fauet, in statutis HAMBVRGENSIBVS, inter patria numerari potest, quumque nullum illius quoque vestigium reperitur in duobus illis Hamburgensium iuribus, quorum supra memini; ea potius ad capita referre debemus, quae iure ex Romano sunt petita. Ea aetate, qua statuta nostra condita erant, non facile statuta adparebant, quae non distincta essent flosculis iuris Quiritium, tanquam stellulis; isque nostris in statutis plane hospes ac peregrinus esset, qui adferere vellet, conditoribus eorum nullam cum iure Romano fuisse familiaritatem.

- n) *de paroeniis iuris Germanici libri tribus, tom. III. opusculorum, p. 382. sq.*
- o) *thesauro paroeniarum Germanico iuridicarum, Lipsiae MDCCXIV.*
- p) *in den Grundsätzen der deutschen Rechte in Sprichwörtern, Abtheil. III. num. 15. seq.*
- q) *lex Ripuar. tit. LIX. §. 1.*
- r) *lex Ripuar. tit. LX.*
- s) *leg. Wisigothor. libr. V. tit. III. leg. 3.*
- t) *tit. XV. cap. 9.*
- e) *lib. V. tit. III. §. 7.*

§. XIII.

Sanctio tamen iuris Hamburgensis clarius rem definit, in quam emtione venditione enormis laesio fit attendenda.

QVEMADMODVM satis ex his patet, praeceptum iuris Romani hac in sanctione iuris HAMBVRGENSIS tradi; ita non
D minus

DISSERT. INAUGVR. IVRID. DE LAESIONE

minus extra dubium positum est, illud ita tradi, vt simul quaestiones iuris ciuilibus controuersas tangat easque decimat. Supra monui, inter iurisconsultos nondum constare, vtrum trahenda sit lex imperatorum DIOCLETIANI ac MAXIMIANI ad laesionem illam enormem, quae ab vno contrahentium alteri infertur in emtione venditione rei mobilis hocque mihi tantum probabile esse, si res vendatur mobilis pretiosior. Nec negandum est, coniecturam eorum, qui legem hanc solum restringendam esse censent ad emtionem rei immobilis, similitudinem quamdam consequi videri, quum in vtraque lege memoratorum augustorum fundi solum venditae mentio sit: immo Iustinianus in nouellis, quae codice sunt leges posteriores, eique, omni discrimine ac dilectu remoto, haud obscure permittit, alterum circumuenire *ἐπιπορισως*; siue, vt interpret graecam hanc voculam conuertit *negotiatine* u); verum enimvero duplici modo significant, haud interesse, vtrum venditio rei immobilis, an potius mobilis sit celebrata, si quis, enormiter per illam laesum se esse, queratur. Plane haud definiunt HAMBVRGENSES, cuiusnam rei venditio sit celebrata, quam nullam esse declarant ob laesionem enormem, in illa vni vel alteri contrahentium illatam; sed ita indeterminato modo loquuntur v): *wird iemand im Kaufen und Verkaufen über den halben Theil des rechten Werthes übernommen und verkürzt, derselbige ist den getroffenen Kauf zu halten nicht schuldig.* Quum satis nota est regula logica, eum vniuersaliter loqui, qui indefinite loquitur, merito est concludendum, interpretem functionem hanc de omnibus rebus venditis explicare debere siue sint immobiles, siue sint mobiles; neque vero minus illud patet ex antecedentibus legibus atque integra earum structura.

tura. Spectant haec quidem ex parte ad venditionem rerum immobilium; plures tamen inter illas solum venditionem rerum mobilium tangunt, ita, vt art. 1. de foemina mercatrice; siue *einer Frau, die Kaufmannschaft gebraucht, offene Laden und Fenster hält*, agat: art. 8. venditionem rei furtivae tangat: art. 11. mentionem faciat emtionis mercium, *deren Waaren*: art. 13. solum loquatur de casu, *so bald der Kauf in allen seinen Punkten über fahrende Haab vollenzogen* ac tandem art. 17. definiat, quumque, omnibus his articulis praecedentibus, de laesione enormi generatim ea, quae antea memorata, traduntur, non possum, quin eadem ad omnes species venditionum, siue de rebus mobilibus, siue de rebus immobilibus ineanantur, applicanda censeam.

u) nouell. XCVII, cap. 1.

v) part. II. tit. VIII. art. 19.

§. XIV.

Statutum Hamburgense spectat ad emtionem aequae ac venditionem.

NEQVE minus a me traditum est, controuersam quoque esse quaestionem, num emtori remedium competat ex l. 2. C. de rescind. vend., et si quoque illa merito adfirmanda sit secundum analogiam, pluribus iurisconsultis aliud placuisse; sed Hamburgensibus haud opus est, vt liti huic sese immisceant, quum satis clare in loco nostro statutorum emtori

tori prospiciunt eumque venditori equiparant. Nisi omnia me fallunt, satis euidenter id significant, quum emtionis aeque ac venditionis mentionem faciunt, *des Kaufens und Verkaufens*. Non est negandum, Romanos iurisconsultos semper vramque voculam coniungere solere, quum de venditionibus ipsis est sermo, quoniam venditor semper sese refert ad emtorem; neque cogitari potest sine emtore; atque ex satis noto effato CAII *w*) minime colligi potest; penes eos vtrumque vocabulum vnum atque idem denotasse. Idem quoque obtinet penes nostrates ac licet particula: *ver* diuerso modo adhiberetur in verbis, quibus est praeposita, vt scite obseruat IO. GEORG. WACHTERVS *x*), non facile tamen vtrumque verbum coniungere solent; sed id ideo superfluum putant, quum sine emtione non venditor, nec sine venditione emtio locum habere potest. Quum ex his merito concludere possumus, non sine causa duo haec verba hoc loco adhiberi; neque illud contigisse, nisi indicare voluissent Hamburgenses, se hoc loco emtoris aeque ac venditoris rationibus consulere velle: idem quoque satis clare significant, vbi duplici modo laesionem enormem, quae in contractu emtionis ab vno contrahentium alteri inferitur, describunt: *wird iemand im Kaufen und Verkaufen über den halben Theil des rechten Werths übernommen und verkurzet*, quum sole clarius est, prius sese ad emtorem laesum, posterius autem ad venditorem laesum referre.

w) L. 19 D. de act. emti venditi. GOTHOFREDVS ad h. l.

x) *prolegom. glossarii Germanici*, cap. V.

§. XV.

Quatenus iure Hamburgensi laesio est enormis.

SED progredior ac recordor acerrimae illius litis, quae de computatione laesionis emtori illatae inter duumviros existit, qui, ob munerum granitatem aequae ac nominis celebritatem omnem merentur venerationem, IO. AD. DE ICKSTADT y), ac IO. VLR. DE CRAMER z), quum ille, ACCVRSII auctoritate ductus, persuasum haberet, illam iam tum obtinere, si praeter iustum rei pretium plus quam dimidiam eiusdem soluerit partem; hic autem illum refutavit, atque ipsi non solum IO. FRID. POLAC a); sed quoque perill, CAR. FRID. WALCHIVS b) accesserunt. Quum emtoris in legibus DIOCLETIANI ac MAXIMIANI plane non sit mentio ideoque ei, si quoque easdem ad ipsum adplicamus, plus tribuere haud licet; quam tributum sit ab imperatoribus venditori; de minori autem pretio, quo venditor est laesus, clare est sancitum, quod illud tunc demum locum habeat, si nec dimidia pars eius sit soluta, quod dedit; merito celeberrimis viris, CRAMERO, WALCHIO omnibusque eorum adflectis suffragamur; multo minus tamen id Hamburgi in dubium vocare possumus, postquam ipsorum in decreto emtoris aequae ac venditoris mentio est facta ac generatim cautum: *wird iemand im Kaufen und Verkaufen über den halben Theil des rechten Werths übernommen und verkürzt*: ita, ut si res venundatur, quae XX. thaleros valet, venditor eius prius haud in venditione enormiter laesum esse queri possit, quam si ne decem quidem pro ea sortitur thaleros; contra emtor tum demum de se id adfir-



mare queat, quum si ipsi plus, quam triginta thaleri sunt soluendi.

γ) *Specimine iuris ciuili de laesione enormi in contractu emtionis venditionis recte computanda, qua modus vulgaris laesionem enormem in emtore ex altero tanto pretii veri aestimandi atque computandi, solide confutatur ac erroris huius communis fontes feliciter deteguntur*, Herbipoli, MDCCCXXXIV, quod reculum est tom. I. opusculor. Eius iuridicorum. p. 233.

ε) *progr. de laesione enormi recte computanda*, Marb. MDCCCXXXV, tom. III. opuscul. p. 587.

α) *mathefi forensi, Abtheil. I. cap. II. Abtheil. VIII. §. 88.*

β) *introduc. in controu. iuris ciuil. sect. III. cap. IIII. membr. IV. §. 25. p. 613.*

§. XVI.

Iure Hamburgensi non necesse est, ut libellus enormiter laesi habeat petitum alternatiuum.

TANDEM imperatores DIOCLETIANVS ac MAXIMIANVS haud simpliciter rescissionem contractus emtionis venditionis imperant, quo enormis laesio vni vel alteri contrahentium contigit; sed alteri parti concedunt, per reparationem damni conuentionem seruare eumque in finem vna lege humanum solum esse tradunt, ut vel pretio restituto emtori, venditor fundum venundatum recipiat; vel si emtor elegerit, quod deest iusto pretio recipiat; altera autem electionis emtori reseruandae mentionem faciunt. Euenit itaque, ut praesertim antiquiores iurisconsulti

consulti actionem ex L. 2. C. *de rescind. venditione* non; nisi habeat petitum alternatiuum, admittant quumque hac in re ipsorum duos atque antesignanos habent BARTOLVM aequè ac abbatem PANORMITANVM, non mirum est, quid sit, quod inter ipsorum adflectas inueniamus viros omni veneratione dignos, videlicet GEORG. AD. STRVVIVM c), WOLFG. AD LAV-
 TERBACHIVM d) QVIRIN. SCHACHERVM e). Recentiores fere omnes aliter sentiunt, ac si quoque concedunt, impedire posse rem rescissionem emtionis, quam actor intendit, vbi sese ad laesionem reparandam offert, haud tamen alternatiuum requirunt petitum, nimirum IVST. HENN. BOEHMERVS f), SAM. de COCCEII g), ALBERT. PHIL. FRICKIVS h). Ratio-
 nes, quibus sententiam suam corroborant, ita sunt compara-
 tae, vt ab iis discedere haud audeam; HAMBVRGENSES autem saepius laudata sanctione rem ita decidunt, vt controuersiae illius nullo modo rationem habeant. Tantum adest, vt quid-
 quam de tali reparatione laesionis ei permittant, cuius inter-
 est, vt emtio venditio rata maneat; vt solum laesam partem ab obligatione, conuentionem hanc seruandi, absoluant, haec-
 que tantum adiciant: *derselbige ist den getroffenen Kauf zu hal-
 ten nicht schuldig.* VLTRICVS quidem WINKEL i) iam suo tem-
 pore iudicauit per id haud denegari alteri parti licentiam, laesionem reparandi hocque nomine rescissionem emtionis
 venditionis euitandi; neque sine ratione, uti opinor, ita no-
 stram legem explicauit, quum iure ex Romano est desumpta
 ac ex eo sine dubio explicanda; neque minus in dulcissima
 patria nostra in subsidium illud est receptum; nisi tamen
 omnia me fallunt, nullo modo secundum statuta HAMBVR-
 GENSIA libellus eo nomine reiiciendus est, quod haud habeat
 petitum

petitum alternatiuum, quum vel minimum nominatim haud cauent, quod, tali existente laesione vel rescissio vel reparatio damni locum habere debeat.

c) *systemat. iuris ciuil. exer. XXIII. thes. 87. tom. 1. p. 1618.*

d) *coll. theor. practico. libr. XVIII. tit. V. §. 47.*

e) *coll. theor. pract. libr. XVIII. tit. V. p. 177.* Accessit iis ex recentioribus Io. LvDOV. SCHMIDIVS *in dem Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden §. 946. ed. nouissimae,*

f) *de libellis alternatiuis, cap. III. §. 2. seq. tom. III. exercitat. ad pandectas, p. 206. seq.*

g) *iure controuerso, lib. XVIII. tit. IV. qu. 2.*

h) *diff. de libello actionis ob laesionem enormem instituendae von disiunctiue concipiendo, ad L. 2. C. de rescind. vendit. Helmstädtii, MDCCCLXXIV.* Caeterum naturam atque indolem actionis illius satis adcurate exponit ill. HERRM, Io. LIENAV *de natura atque indole actionis, quae ob laesionem enormem conceditur, Goettingae MDCCCLXXXII.*

i) *in emendat. atque adnotat. ad Statuta Hamburgensia, libr. II. tit. VIII. §. 19. in thesauro iuris provincialis et statutarii Germaniae, vol. I. p. 829.*

§. XVII.

Quatenus enormis laesio attendatur in commerciis Hamburgensium.

QVVM HAMBVRGENSES in quacunque emtione venditione laesionem enormem attendi volunt hocque sine dubio locum habeat in emtione rerum mobilium, minime ab his exclu-

excludere debemus merces, sed etiam per id illis, qui ita in commerciis laeduntur, prospicitur. Secundum regulam satis tritam, iuriscultus haud distinguere debet, vbi lex non distinguit, et si rationes consideramus, quae Romanis aequae Hamburgensibus ad ferendam hanc legem occasionem suppeditarunt, illa ita ad merces quoque quadrant, vt interpretis officio rite haud fungeremur, si ab illa merces excludere vellemus. Illae quoque haud ita sunt comparatae, vt non cogitari queat in iis laesio, etsi proxeneta adhibitus sit, hicque iurisiurandi religione ad exsequenda sua officia obstrictus. Quum mercatores, vbi merces emant, proxenetis imprimis vti solent, bona quidem fide conventionem inire possunt; nihilominus tamen euenire facillime solet, vt, veripretii mercium ignari, mandantibus laesionem inferant. Simili ratione quoque illa in venditione locum habere potest, quum errare humanum est: immo nequidem error, vti supra docui, ad talem laesionem requiratur eandemque obcausam vel minimum nonnunquam contingere potest, quod viro celeberrimo, patriaeque reipublicae vero ornamento, Io. GEORG. BVESCHIO r), nunquam euenire posse videtur; tanto maiori vero iure discedere possum ab alio viro, non minus de republica satis merito, quum haud quidem, enormiter laedi posse in commerciis contrahentes, contendit; sed iis remedium ex L. 2. C. de rescind. vendit. penitus denegat, nimirum a IOANNE KLEFEKERO l).

h) in der Handlungsbibliothek, part. 1. p. 263.

l) in collectione legum Hamburgensium, T. v. §. 429. p. 61. edit. formae minoris.



§. XVIII.

Kleskerus refutatur.

KLESEKERVS ita procedit, vt partim *generatim* vsum remedii ex L. 2. C. *de rescind. vendit.* neget; partim *speciatim* illud in commerciis Hamburgensium cessare adfirmet. *Generatim* id euincere studet I. illis ex argumentis, quae iam a THOMASIO sunt adducta, ideoque in omnibus hunc sequitur minimeque ad rationes SCHAVMBVRGII, qui tam solide ТНОМАСІУМ refutauit, nobisque ex asse satis fecit, respicit; imo vim receptionis huius constitutionis romanae in iure canonico (c. 3. X. *de emt. vendit.* vbi dicitur: *tenet venditio, licet venditor sit deceptus ultra dimidium iusti pretii; potest tamen venditor agere, vt restituatur res, vel iustum pretium suppleatur, et, si alterum praecise petit, succumbit, plene praeterit.* Praeterea II. ad roborandum thesin pro se adlegat, leges imperii circa laesionem enormem nihil continere. — Sed hoc omnium minime tale quid probat. Iure Romano, tanquam iure subsidiario apud nos recepto, etiam singulis in casibus ad hoc recurrendum est, si nostris in legibus nihil illorum intuitu dispositum inuenimus, qualem hic habemus casum. *Speciatim*, ait, legem nostram apud nos Hamburgi non esse adplicandam I. ob difficilem probationem et II. ob fidem mercatoriam. Quoad primum argumentum haud perspicere licet, cur non probatio laesionis Hamburgi institui queat, quae aliis in foris sine vllis difficultatibus possit suscipi. Eo minus illae sunt metuendae, quam proxietais verum pretium mercium est notum hique sine dubio tanquam testes m) pro-

produci possunt, cum his autem iungendi sunt, publici illi libri valorem mercium continentes, sub nomine *der Preiscurante* noti; praetereaue nos non attinet, num probatio facile fieri possit nec ne, sed hoc merito iudicio laesi relinquendum est; neque hoc nomine ei, qui de laesione quaeri vult, beneficium hoc denegandum est. Quoad fidem mercatoriam, quam KLEFEKERVS remedium concedendo laesam dicit, quaeritur, an hoc vere sic se habeat? — MARQVARDVS o) nihil naturae et ingenio mercaturae laudatissimae magis aduersatur, quam lucro inhonesto et legibus interdicto inhiare, quia mercator iniustas vsuras exercens perdit priuilegium et sub nomine probi mercatoris minime intelligi vsurarios manifestos. Porro, inquit KLEFEKERVS THOMASIVM sequens, rescissionem emtionis venditionis ob laesionem enormem fieri non debere, aut ex capite doli, tunc locum sibi vindicantis, rescindi posse. Sed, quid, quaeso? fidem tuetur mercatoriam, et mentionem facit obiecti omnem plane fidem excludentis. In negotiis mercatoriis, vt in omnibus, ad quorum consumptionem particularis fides requiritur, nobis ne quidem dolum cogitare licet; et. cur remedio nostro vti non volumus, quum tamen ea intentione ab imperatoribus sit institutum; vt talis non inueniatur laesio, dolique probatio difficilima sit ac diabolica. Addas, quod ob dolum quaeuis laesio vel minima debeat reparari.

m) videbis, quae hac de re monuit ill. BVESCHIVS in *der theoretisch-practischen Darstellung der Handlung in denen mannigfaltigen Geschäften* (Hamburg, 1792. 8.) Th. 2. Buch 4. Cap. 5. S. 118. folg. et *neu revirte Mäklerordnung* d. a. 1740. §. V.

o) *de iure mercatorum*, p. 492.



§. XIX.

Conclusio.

HAEC fuerunt, quae intuitu remedii ex lege secunda Codicis de rescindenda venditione Hamburgi locum sibi vindicantis differere animus erat. Sunt quidem et alia quaedam circa id praestantia et vsu pratico memorabiles quaestiones; sed dum negotia domestica, me citius quam expectavi, auocarent ab elaboratione huius speciminis, melius duxi, filium dissertationis hic abrumpere, quam res arduas negligenter et festinanter tradidisse. Excusabunt etiam beneuoli lectores, si propter eandem rationem spicilegia reliquisse videor.

Zella, Pfl., 1790-1800



f

h.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

1794 ¹⁴
~~870~~
13

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

LAESIONE ENORMI
IN NEGOTIIS MERCATORIIIS HAMBURGENSIVM
AD STATVT. HAMBVRG. P. II. T. VIII. ART. 19.

QVAM

SVPREMOS FASCES ACADEMICOS TENENTE
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET
GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

EX

DECRETO ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS

DIE XIII. AVGVSTI MDCCCLXXXIV.

H. L. Q. C.

PVBLICE TVEBITVR

AVCTOR

TOBIAS NICOLAVS WIBEL
HAMBURGENSIS.

IENAE,

LITTERIS GOEPPERTIANIS.

